Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2375
Quelle:
Copyright:

Peccatorum diſtinctione Sermo eſt, legatur: *Incipit nowus tractatus*, et ad calcem: *Iſtum ultimum tractatulum ſcilicet de diſtinctione peccati mortalis et venialis compoſuit vir Sapientiſſimus magiſter Matheus de Cracouia ſacre pagine eximius profeſſor ac Artium valentiſſimus doctor*, totum tamen Opuſculum ad Eundem pertinere videtur. Non tamen illud eſt, quod ei *Cod.* XC. perperam tribuitur, ſed incipit: *Quilibet peccator uolens confiteri antequam ad Sacerdotem vadat* &c. et finit: *ad alia impertinentia quod eſſet mortale.* Nemo, quod ſciam, eorum, qui *Matthaei* noſtri Scripta enumerant, ejus meminit. De illo dictum ad *Codd.* varios, ut *Index* manifeſtat.

IV. *fol.* 166. p. 2. *Hic docetur qualiter placitandum ſit in iudicio ſpirituali et hoc ſecundum iura canonica.* Libellus conſtans *Capp.* XII. incipit: *Quoniam in tractando iudicio magna eſt neceſſaria circumſpectio* &c. agitque de Perſonis in Judicio intervenientibus, de Judicii proceſſu, Citationibus &c. ultima ſunt de Petitione ſcribenda, quae finiunt: *Acta ſunt hec coram iſtis. et cetera.* Subjecit feſtivus Librarius: *Explicit expliceat ludere ſcriptor eat.* Ita et alia Spatia vacua membranae variis Notulis conſperſa ſunt, interque eas latine et teutonice *Quinque Mirabilia:*

Balneator ſine ſudore
Molitor ſine furto et pudore
Hiſtrio equorum ſine mendacio
Pickhardus ſine bombiſacio
Luſor ſine periurio.

DCXXII.

819 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 22. 8. dicatus honoribus *Octaviani II. Fuggeri* L. B. in *Kirchberg* et *Weiſſenhorn* continet Rhythmos pios, qui inſcribuntur: *Ein ſchöne vnnd tröſtliche Betrachtung deſs todes. Ein ſchön Gebett. Ein kurtze Erinnerung von dem Jüngſten tage. Ain ſchöner chriſtenlicher ſpruch*, adjecta exhortatione proſaica. Poetam infimi ſubſellii vel hic ingreſſus prodit:

Der todt haltet gar vöſt ſein recht,
Er zuckht den könig Alſs den knecht,
Wir ſindt alle in ſeinem gewalt,
Er Nimpt vngefärlich Jung vnnd Alt, &c.

DCXXIII.